



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Leonis Papae VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

VITA
LEONIS PAPÆ VII.

ANNO
CHRISTI
936.

Leo VII.
quando
pontifex
factus.

LEO huius nominis septimus pontificatum adeptus est anno Redemptoris DCCCCXXXVI. tempore Constantini & Romani imperatorum orientalium : de quo Flodoardus in chronicō prædicto anno ista scribit: *Ioanne papa fratre Alberici defuncto, Leo quidam Dei seruus Romæ papa constituitur.* Hic Odonem abbatem Cluniacensem, virum sanctitatem celeberrimum, vocauit Romam, ut inter Hugonem regem Italiam, qui Romam obsidere cœperat, & Albericum Romanum principem, pacis componendæ sequestrum ageret. Venit abbas sanctissimus, suaque intercessione apud vtrumque hoc obtinuit, ut Albericus filiam Hugonis coniugem acciperet, & Hugo obsidionem solueret.

Henrici re-
gis Germania-
nis obitus.

Huius tempore mortuus est Henricus rex Germaniae, decus Christianae religionis, qui post multas alias gentes, de quibus supra, Cuicunque Daniæ regem ad Christi fidem conuertit, ipsosque Danos ab hominum immolatione resuocauit, regnique heredem filium suum Ottoneum pietate & fortitudine militari sibi non dissimilem reliquit.

Manasses
Arelatenfis,
episcopus
ecclesiæ
perturba-
tor.

Eodem hoc tempore, ad afflictionem & perturbationem ecclesiæ, Manasses Arelatenfis episcopus nouam addidit miseriam, quando homo ambitiosus sua sede nequam contentus, opera Hugonis regis Italiam, non tantum Veronensem, Tridentinam & Mantuanam, verum etiam Mediolanensem ecclesiam inuasit, afferens se id facere exemplo principis apostolorum, qui etiam Romanam, Antiochenam & Alexandrinam ecclesias simul possedit. Haec Luitprandus, qui Dei & legum contemptorem peracri inuectura perstringit. Leo cum sedisset annis tribus, & sex mensibus, defunctus est.

VITA